

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0980

0978

0984

0974

0989

0969

1029

0929

1079

0879

0479

Ende

Anfang

407

aliis dormientibus, ne latrones aut fures occulte subintrarent et nostra subtraherent; verumtamen ista vigilia et custodia erat nobis magis necessaria propter nostros famulos, camelarios et asinarios, quam propter alienos: furabantur enim nobis paximatos, ova et quaecumque poterant, nec poteramus adeo bene vigilare, quin in mane reperiremus perforatos saccos et panes extractos vel ova de sportis sublata. Saepe reperimus eos in facto furti, nec deprehensi erubuerunt, sed potius nos deriserunt. Propter haec ergo post coenam omnes convenimus et ordinem fecimus de vigilibus ulterius ponendis. Cecidit autem sors primae noctis vigilandi post noctis medium super me. Igitur cum sol occasum peteret, stravimus nobis sub papilionibus et posuimus nos dormitum. Sic autem erat exercitus noster ordinatus noctibus. Primo stabant nostra tentoria simul et tabernacula et supellicilia nostra in medio jacebant. Per circuitum autem nostrum jacebant camelarii et asinarii cum suis sarcinulis et cum bestiis, nec patiebatur Trutschelmannus noster, quod aliquis singulariter extra cuneum jaceret aut ambularet longius, nisi quantum opus necessitatis requisivit aequalem elongationem. Eo ergo modo, quo dictum, singulis noctibus rem ordinavimus cum cibo et potu, cum custodia et aliis, ut dictum est.

Porro cum jam noctis medium esset, excitavit me miles, qui ante vigilaverat, ad vigiliam meam complendam et surrexi et exercitum Domini cum psalmodiis circuivi, baculum manu tenens. Subito autem prope nos factus fuit ingens et horribilis ululatus multorum conclamantium et collugentium, nec aliud intelligere potui, nisi quod essent voces hominum lamentantium. Stabam ego et timens ac mirans auscultabam, cogitavi autem, quod forte Sarraceni festum aliquod tragoediarum aut comoediarum celebrarent, aut certe horridum malum vel plaga aliqua subito eis accidisset, (25 a) aut quod satyri et alia deserti portenta per hujusmodi ululatum vellent nobis solitudinis ingressum prohibere. Quid autem fuerit, usque hodie ignoror; quidam tamen dixit mihi, quod esset multitudo loporum ululantium etc. Sed hoc credere vix possum, quia clamor ille subito incepit et post modicum subitus desiit et silentio interposito iterum incepit et interjectiones dolentium habuit.

